



10

EPICEDION

Nobilissimæ lectissimæque matronæ,  
**ELISSAE** à **Schulenburg** / **CON-**  
**IUGIS NOBILISSIMI ET STRENI**  
**VIRI, Dn. LVDOLPHI AB Aluenschleben /**  
**Ioachimi F. Domini in Erxleben &**  
**Calbe/etc.**

*Quæ Erxlebia anno ætatis suæ 27. matrimonij 10.  
die Julij 18. Anno Christi 1600. piè in  
Christo obdormiuit:*

*Scriptum ab*

**HENRICO MEIBOMIO, Poëta Cesario**  
*& Professore Iulio.*

*Basiliius homilia ad diuites.*

**Pietas pulcerrimum epitaphium.**



**HELMÆSTADII**  
*Typis Jacobi Lucij. Anno*

---

M. D. C.



## EPITAPHIVM.

**H**oc de postea loco Schuleburgia dormit Elissa,  
V Veneri soboles quæ generosa fuit :  
(V Veneri, qui Marchiacæ capitaneus oræ  
Est habitus patriæ lux oculusq; suæ.)

Illa bis octonos explerat nubilis annos,  
Quando est illustri tradita Sponsa viro :  
Aluenslebiadæ Ludolpho dico, parentis  
Qui nomen decies, hac pariente, tulit.  
Coniugium concors duo per quinquennia, & ultra  
In pace & casta mansit vtriq; fide.  
Concessit fatis, cum prole puerpera natâ  
Coepisset morbo debilitante premi.  
Octauus decimus Quintilis, secula postquam  
Dena & sex ierant, talia vidit agi.  
Spiritus ad coelos abiit: sub marmore corpus  
In loculo extremum dormit ad vsq; diem.

*Henr. Meibomius.*



M. D. C.

**S**omnia pondus habent. prauidi hoc funus,  
Et istas

Exequias. te Diue Geni, tua numina testor,  
Curarum omnipotens domitor! iam ritè recordor  
Omnia, Et oblita reuoco spectacula noctis.

Tempus erat, quo cuncta silent: quo somnus edaces  
Persequitur curas, pronusque per aëra serpit  
Plena fatigato reuehens obliuia mundo.  
Tum me confectum curis sopor altus habebat:  
Nec mora, delubrum indugredi, Et splendore micantes  
In somnis videor mihi cernere cominus aras.

Accessi, fudi que preces: mox ara sonabant  
Tinnula, Et intento strepuerunt murmure pile.  
Obstupui, steteruntque coma: sed triste pheretrum  
Protinus infertur, quod circum multa nitebant  
Signa coloratis late splendentia lamnis.

Dum paueo, atque hebeti collustro singula visu,  
Aluenslebiade coniunx generosa Ludolphi,  
Ora modis tua conspexi pallentia miris.  
Hei mihi qualis eras! quantum rubor ille venustus,  
Quantum oris mutatus honos! quantum uuida quondam  
Membra, Et inoffensos macies turpauerat artus!

Hic salsus toto fluxit mihi corpore sudor,  
Mensque abiit vocisque sonus: ut redditus ille,

A 2

Quid

Quid placidam, dixi, turbatis iniqua quietem  
Somnia? Dij meliora ferant: procul omen abesto.  
Hanc sanctam superesse nurum, castoq; fruisce  
Connubio, & vacuis inopum succurrere mensis  
Fata velint, iubeantq; diu: hoc vicinia tota,  
In primis cupidis expectat Marchia votis.

Hæc ego: sed tennes abierunt vota per auras,  
Mersa vadis aut rapta Noto: docet exitus asper.  
Quæ vidi in somnis falsa sub imaginis umbra  
Nunciat infelix rumor verissima: partum  
Felicem, morbosq; nurus mortemq; recensens.

Eheu! quis trepidas funestior impleat aures  
Nuncius? ergo illud fœdus, quod sidere fausto  
Sancierat pater omnipotens: quod glutine sancto  
Firmabat socialis amor: quod mutua alebant  
Officia, & castæ ditabat copia prolis,  
Inuida dissoluit Libitina, toriq; iugalis  
Parte reclinata meliori, triste marito  
Heu desiderium & suspiria longa reliquit?

Mirum! si viuit, superatq; & vescitur auris  
Æthereis. ab quo potuit miserabilis ore  
Affari exhaustam & verba ultima deficientis  
Excipere? ab quo vultu spectauit agonem  
Extremum, sparsasq; manus morientis, & ora

Palli-

Pallidula, atq; oculos atra sub morte natantes?

Nil insons igitur pietas, nil profuit ardens

Virtutis studium, vacui nil crimine mores,

Nil fraudes exosa manus, & prodiga nudo?

Nempe iaces, oculosque istos, ceu bina cluentes

Sidera, purpureasq; genas sub marmore duro

Cælat humus: vermes erodunt viscera: putet

Prolificus venter: viduantur carnibus ossa.

Sic visum & placitum Christo, quem nemo tyrannū

Nemo hostem putet: is cū mors aeterna perenni

Supplicio nos assereret, nec iam vlla salutis

Spes foret, ad pugnam mortem pertraxit, ibi omnis

Vis necis infracta est, & lethum in morte sepultum.

Nunc idem, & vita princeps, mortisq; domator,

Aeterna quanquam nos poscat ad ocia vita,

Vult omnes tamen antè mori: verum illa veneno

Mors caret, & morsu: tantum est noua ianua vita:

Non lethum, at letus sopor, & mutatio felix

In melius: quæ quo citius conceditur, illo

Vtilior meliorque venit: tum iungimur illi

Qui vita est dominus, quo mors moriente subacta est.

Et quisquam metuat mortem? aut formidet inire

Hoc iter, ad quod nos deducunt omnia? nonne

Principium mortis nascendo ordimur, & omnis

Orbita — vitai moriendo carpitur? haret  
Causa — mali in nobis. tunc, vix ubi prodidit ortu,  
Interitum natura — timet, sibi conscia — lethi  
Vindicis, ad certum quod deuocat omnia finem.  
Haud tamen hic iactura grauis: damna omnia — reddit  
Vna — dies, vitæ alterius felicia — condens  
Principia —, & duro metas positura labori.  
Parce igitur lacrymis, & iusto parce dolori  
Aluenstebiade, atq; hæc animo exige tecum:  
Multum amisti generosâ in coniuge: multum  
Amisere tui. tibi iucundissima rapta — est  
Pars animæ, fulcrumq; domus, diademaq; lecti,  
Dimidiumq; tui. soboli dulcissima tutrix,  
Dextra manus, fidum columnen, rebusq; sinistris  
Dulce patrocinium: sed passibus hora citatis  
Accelerat, quæ damna tibi tua sarciet: illis  
Demta redonabit: viduos non deserit vnquam,  
Pupillosue Deus. si quis tamen hos quoq; si quis  
Ledere non dubitat, non impunitus abibit.  
Vsque adeo Christo sunt cura: is vulnera sanat,  
Quæ facit, & miti leuat in fortuna sorte,  
Non aliâs clemens magis & bonus. ista reuolvens  
Adijce, & attonito presentia dispice vultu.  
Quæ mundi facies? quæ rerum forma? labascunt

Impe-



Imperia, & trepido quatiuntur sceptrum tumultu.  
Gentibus insurgunt gentes, & fœdera solvunt  
Furor percussa: latet suspicio multa  
Undique, & affines faciunt diuortia dextra.  
Nec tamen hæc est summa mali: præludia tantum  
Cernimus: incumbunt grauioribus nempe procella.  
An non prodigijs incanduit arduus æther?  
Sidera q; obscura stupere informia noctes?  
Vidimus igniferos ferali crine cometas,  
Ardentesq; globos, delapsaq; fulgura cælo.  
Nec tellus ventura silet: quatiens ruina  
Emota cecidere domus, montesq; reuulsi  
Alpibus oppleuere specus, cursuq; represso  
Concaua terrarum subierunt viscera riuu.  
Quid partus hominum insolitos, & monstra, ferarum  
Terribiles formas representantia, dicam?  
Imminet heu nobis ingens mutatio rerum,  
Quam latus factusq; cient, quam immaniter ipsis  
Extorquet superis scelerum proventus iniquus.  
I nunc, & si quem præ alijs impensius ardes,  
(Sine ille est dulcis coniunx, sine vnicus heres)  
Illum orbe creptum, & tranquilla in pace locatum,  
Has iterum in turbas, & diri plena tumultus  
Regna voca: ut nusquam tutus, raroq; quietus

Exigat

Exigat infelix auum, atq; examina mille  
Morborum hinc metuat, illinc tremat hostica tela.

Quin potius gratare tuis, ubi compe de rupta  
Expediunt sese, & vicij peccantis inanes  
Transabeunt cælos: siue hoc puerilibus annis,  
Aut pubescentis contingit vere iuventa.

Vix duo transegit tecum quinquennia coniunx:  
At numeræ ærumnas atq; infortunia: partus  
Difficiles, morbos tristes, mortesq; tuorum  
Præproperas. an non luctus plena omnia, varique  
Innubes, placidique dies? hoc scilicet illud  
Mite iugum, atq; ille calix, imitata magistrum  
Quem bibit, & succos tolerando vicit amaros.

Nunc illi stabilita quies: nunc libera tuto  
Navigat in portu, & mundi deridet inanes  
Delicias, fructusq; breues & plena malorum  
Gaudia. fors etiam fido pro coniuge, proque  
Prole Deopia vota facit. desiste dolore  
Magne vir & mentem cælo submitte sequacem.  
Quid damni tuleris notum est: solatia mæsto  
Quæ paret omnipotens nescis, confide paternis  
Vocibus, atq; animum venturis erige fatis.

F I N I S.

AB 155 199

ULB Halle

3

004 841 417




TA 70L

09.2007 Bd.







EPICEDION

Nobilissimæ lectissimæque matronæ,  
**ELISSAE** à **Schulenburg** / **CON**  
**IVGIS NOBILISSIMI ET STRENI**  
**VIRI, Dn. LVDOLPHI AB Aluenschleben** /  
Ioachimi F. Domini in **Erxleben** &  
**Calbe/etc.**

*Quæ Erxlebia anno ætatis suæ 27. matrimonij 10.  
die Julij 18. Anno Christi 1600. pie in  
Christo obdormiuit:*

*Scriptum ab*

*HENRICO MEIBOMIO, Poëta Casario  
& Professore Iulio.*

Basiliius homilia ad diuites.

Pietas pulcerrimum epitaphium.



HELMÆSTADII  
Typis Jacobi Lucij. Anno

M. D. C.